Volente ac favente Deo Trinuno

ET PRÆSIDE

Viro Clarißimo & Consultissimo

Dn. PHILIPPO HOFFMANNO

J.U.D. PLACITORUM FEUDALIUM ET CANONUM IN INCLYTA HEIDELBERGENSI Academia Professore Ordinario, & pro tempore Celeberrimi ICtorum ordinis DECANO Spectabili, Præceptore in æternum colendo.

THESES SUBSEQUENTES.

DE

FEUDI REVOCATIONE

asserere conabitur

JACOBUS MARRELLUS FRANCOFURTANUS AD MOENUM

Ad diem XV. Decemb.

In ICtorum auditorio horis solitis.

HEIDELBERGAE,

TYPIS Iohannis Lancelloti *Academiæ Typogr.*

ANNO CIↃ IↃ C X.

NOBILISSIMO NEC NON EXPERIENTISSIMO VIRO

Dn. IACOBO BUNGARTIO

INVICTISSIMI REGIS GALLIÆ Legato prudentiſſimo

Patrono, ſuo omni reverentia colendo.

Debitæ obſervantiæ ergo

D. D. D. C.

JACOBUS MARRELLUS
Fr. ad Mœn.

DISPVTATIO FEVDALIS

DE

Feudi Revocatione:

Thesis I.

ALIENATIONIS feudi à vaſallo licitè, id eſt, conſentiente domino factæ, peculiaris hic & potiſſimus effectus eſt, ut agnati vel quorum intereſt, eã proditis in hoc certis remediis irritã reddant, feudumq; ad ſe ſuo quodam jure ab invito etiam poſſeſſore quaſi revocent.

I I.

Vnde & Revocationis, & ex hac competentis, adinſtar Paulianæ actionis revocatoriæ nomen excogitatum.

I I I.

Quod etſi generalius quamcunq; feudi quomodocunque aperti, finiti vel amiſſi repetitionem ſeu vindicationem, non ſolum agnatis, aut ſucceſſoribus feudi ſed etiã ipſimet domino competentem contineat, hic tamen ſpecialius accipitur pro eo jure quod filiis, & agnatis, feudi ſucceſſoribus avocandi à poſſeſſore quocunq; feudi alienati nomine tantum competit.

I V.

Eſtque duplex; Aut enim jure contractus ſive conven-

tionis tacitæ, vivo adhuc alienatore fit revocatio; Aut jure successionis eo mortuo. Illa jus retractus vulgo, προτιμήσεως Græcè vocatur: Hæc generis nomen retinet.

V.

Etsi autem prior illa cum retractus iure quod propinquis, vicinis, & similibus Romani & Friderici Impp. constitutionibus competit, multum affinitatis habeat. In quibusdam tamen, & eo quidem potissimum differt; quod & ante contractum alienationis ad impediendum illum per modum prohibitionis & interdicti competit; & ex Molinæi sentētia ab Hartmanno tamen Pistoris improbata multo firmiore jure nitatur.

VI.

Nec tamen, qui cum potuit impedire alienationem non impedivit, retrahere contractu jam per traditionem consumato prohibetur: neque eadem prohibitionis, quæ retractus ratio est, uti nunnullis visum perperam.

VII.

Retractus igitur in specie sic dictus nihil aliud est, quā jus, quo res feudalis, vel tota vel pro parte alienata ab emptore, oblato precio convento statim ita recuperatur, & quasi redimitur, ut retrahens in locum emptoris succedat, & eam titulo emptionis consequatur vivo adhuc alienatore.

VIII.

Huic, consuetudine vel statuto loci contrario in allodialibus minime derogatur nec si diversum quid habeat illud feudis quicquam præjudicat.

IX.

Quæ jure successionis competit facultas feudi revocandi, post mortem demum alienationis, ut & ipsummet ius succedendi non oblato etiam, aut refuso precio datur.

X.

X.

Quamvis autem utriuſq; ſpeciei efficientes cauſæ ſint communes, conſuetudo ſive ius feudorum commune & pactum anteceſſorum; Rectractus tamen ſive προτιμήσεως propria eſt contractus ſive factum emptoris & venditoris.

X I.

Vnde colligitur una illarum deficiente, non ſtatim etiam ceſſare alteram.

X I I.

Tametſi autem alienatum feudum revocandi facultas ſit aliâs quorumcunq; intereſt alienatum non eſſe; atque ita etiam domini, citra cuius conſenſum, alienatio facta, idq; ex natura contractus, vi taciti pacti, & iure conſolidationis; adeo ut in revocando feudo novo potiores ſint partes domini.

X I I I.

Et quidem etiamſi ſtatuto loci ~~etiam~~ vel conſuetudine ſpeciali, vel etiam (quorundam ſententia) pacto inveſtituræ inſerto, feudum alienabile ſit.

X I V.

Attamen iis propriè magis competit; qui vel ex natura feudi, & jure communi in eo ſuccedendi jus habent; ut ſunt hæredes maſculi à primo adquirente deſcendentes; vel ex pacto ſpeciali, contra naturam feudi, quales ſunt primi adquirentes collaterales: item adſcendentes fœminæ & ſimiles.

X V.

An autem ipſius alienatoris vaſalli deſcendentes, puta, filii aut nepotes feudum à patre vel avo alienatum revocent, magna noſtrorum eſt contentio? Communem & receptam in ſupremo Imp. iudicio ſententiam affirmativam ſequimur.

XVI.

Agnati autem ſive collaterales alienatoris illi demum revocandi ius habent, qui defuncto alienatori poſt alienationem ſucceſſuri in feudo, ſive qui proximiores ante ſe alios non habent, cum revocant.

XVIII.

Quod ſi tamen proximiores illi decedant priuſquam revocant; ſuccedent in ordine ſequentes; ut locus hic ſit ſucceſſorio edicto, quicquid contra diſputet Hartman. Piſtor.

XVIII.

An autem idem ſuperſtite adhuc proximiore, nec tamen volente aut valente revocare; quæſtionis eſt admodum controverſæ? Res duplici diſtinctione explicabitur.

XIX.

Improbatâ Afflicti Sonſb. & Fachinæi ſententiâ, qui vivo adhuc proximiore nec retrahente indiſtinctè affirmant, jus retrahendi ad ſequentem devolvi.

XX.

Sed & pluribus ſucceſſoribus in eodem gradu (verè an per ius repreſentationis nil intereſt) conſtitutis ſimul cõpetit utrumq; ius revocandi.

XXI.

An autem eorum portio qui non revocant cęteris hoc caſu accreſcat, nec ne, quæritur? Placet quod & communius obtinuit, non revocantes quandiu ſuperſtites ſunt, cæteris partem facere.

XXII.

Neq; hic impedit quicquam agnatum ius retrahendi, quod habet, proximiori vel ſequenti agnato ſi ſolus ſit; vel pari in gradu cedere.

XXIII.

XXIII.

Ita tamen cum cedens ille plures habuerit, gradu pares agnatos omnib. ius suum ex æquo cedere habeat necesse.

XXIV.

Cæterum an in remotiorem aliquem agnatum prætérito propinquiore cessio talis fieri possit, maioris est dubitationis? Nobis id non magis fieri posse videtur quam si feudum in remotiorem alienetur aut extraneo prorsus in fraudem proximioris agnati cessio fieret.

XXV.

Nihil etiam interest proximior ille revocare volens tempore alienationis natus, aut etiam conceptus fuerit necne, dummodo tempore successionis, aut revocationis faciendæ extiterit.

XXVI.

Illud extra controversiam ius revocandi feudi ad hæredes feudales utrinq; activè & passivè transitorium esse; quatenus id defuncto competiit vel adversus defunctum.

XXVII.

An adversus secundum emptorem sive tertium possessorem detur quemcunq; etsi dubitari non possit; de genere tantum actionis hoc nomine instituendo, res non caret dubio, quod suo loco explicabitur.

XXVIII.

Illud tantum hic disceptari solet, quonam precio fiat retractus hoc casu: an eo quo primus emerat, an quo posteriores emptores, aut possessores? priore malumus.

XXIX.

Revocatio feudi quæ iure successionis fit, in omni genere alienationis obtinet;

XXX.

Sed quæ jure προτιμήσεως, in emptione venditione tantum

tum vel ſimili ſpecie alienationis, per quam intervenientē precio aut quantitate aliqua viciſſim data aut remiſſa, feudum transfertur in alium: quod fieri ſolet in transactione, compenſatione, in ſolutum datione, & ſint.

XXXI.

In gratuitis verò ſive lucrativis alienationum ſpeciebus; puta donatione, datione in dotem, legato & ſim. non aliter locum habet, quam ſi quid horum in fraudem retractus factum doceatur.

XXXII.

Cæterum feudum ſub conditione aut pacto de retrovendendo aut ſimili venditum aut tranſlatum in emptorem, ſtatim quidem retrahi poteſt, ſalvis tamen pacto & conditionibus adiectis.

XXXIII.

Sed quid ſi res nōdum ſit tradita, num pœnitere liceat vaſallo rebus adhuc integris, ut excludatur revocatio? Molinæi affirmantis æquiorem ſequimur.

XXXIV.

Quid autem ſit interim dum pendet contractus, felonia in dominum commiſſa à vaſallo alienante, vel ipſomet emptore feudum fiat caducū, priusquam agnati retrahant, num his manet integrum jus retractus? Sane quod ad extraneos ſive emptores ſive poſſeſſores vel etiam quod vaſallum ipſum alienatorem, nullum eſt dubium quin maneat.

XXXV.

Sed quod dominum valde controverſum, quibusdam hunc agnatis, aliis hos illi præferentibus in revocando; poſterius probamus.

XXXVI.

Porro feudum quod vel ſui natura vel ſpeciali conſuetudine loci, vel pacto expreſſo aut tacito citra conſenſum

domini

domini vel agnatorum alienari poteſt; ſucceſſionis quidem jure non etiam προτιμήσεως revocabile putamus;

XXXVII.

Eadem eſt ratio feudi abſolutè hæreditarij, ſed in mixto aut ſimplici, quod vocant, hæreditario magis eſt, ut revocationi locus ſit indiſtinctè.

XXXVIII.

Adeo ut nec agnatos hic à filiis aut deſcendentibus alienatoris ſeparandos, nec cum Fachinæo ſpecies revocationis diſtinguendas exiſtimemus.

XXXIX.

Dummodo revocaturus non fuerit alienatoris hæres in allodialibus; is enim factum defuncti præſtare tenetur.

XL.

Niſi inventarij beneficio uſus fuerit. Quo & in feudis ſuccedendi, & conſequenter etiam alienata revocandi jus conſervari verius videtur.

XLI.

Et hactenus quidem dicta procedunt in feudis antiquis. De novi autem feudi revocatione ingens noſtrorum altercatio. Pleriq; eam filiis etiam denegant; nos contra.

XLII.

Forma revocationis eius quæ fit per modum prohibitionis ante perfectam vel etiam impletam feudi alienationem in eo conſiſtit, ut non ſolum quis de ſuo diſſenſu palàm teſtetur, ſed etiam ſe paratum oſtendat idem quod ab alio offertur numerare precium; neque tamen reali oblatione hic opus.

XLIII.

Et quamvis idem nonnulli in ipſo retractu ſeu revocatione contractus jam perfecti per venditionem conſummati ſtatuant; in feudis tamen retrahendis oblationem

realem

realem requiri verò magis consentaneum.

XLIV.

Precium autem æquale offerendum, etiamsi quod alius obtulit iniquum fuerit; dummodo nulla fraus intercesserit; hoc enim intervenienee ne quidem verum justumq;, nedū quod alius simulaverat, sed quod ille revera numeravit tantum, aut numeraturus erat, offerendum.

XLV.

Sanè si emptor ipsemet fraudis particeps fuerit, ęquius est ne reddito quidem illi precio revocationem admitti.

XLVI.

Quæ jure προτιμήσεως fit revocatio intra anni spacium à tempore contractus si prohibendo fiat, vel traditionis, vel quo retrahens alienationis scientiam habere cœpit, instituenda.

XLVII.

Ignoranti autem 30. anni conceduntur, à tempore contractus celebrati, ut & ei qui jure successionis revocat; à morte tamen vasalli alienatoris computandi.

XLVIII.

Illud hic controverti solet, an tempus annale observandum, etiamsi alienatio fiat in extraneum; an cum textus 2. f. 9. de remotiore tantum agnato loquatur, ad hunc etiam restringi debeat. Quod ut receptius quidam testantur; ita verius affirmamus.

XLIX.

Et hæc quidem tempora pupillo non currunt; minori verò currunt, salva tamen in integrum restitutione.

L.

Remotioribus tamen agnatis, quamdiu proximiores supersunt, neutrum illorum temporum currit; cum ut sup. 5. thes. 17. & 18. tandiu ne quidem jus habent revocandi.

LI.

Quocirca meritò improbatur, quod quidam existimaverunt, proximiores à remotioribus cogi posse, ut intra certum tempus revocent.

LII.

Atque ita quidem tacito quasi consensu per lapsum temporis tollitur jus revocandi, adeo ut nec moræ purgatio admittatur, nisi justa & evidens causa restitutionem suadeat.

LIII.

Sed & hæreditatem defuncti alienatoris adeunti sive filio sive agnato via revocandi feudi præcluditur, adeo ut hic emptori de evictione teneatur.

LIV.

Quod si tamen emptor rei qualitatem sciverit ad precij restitutionem tantum agit (quamvis hoc quoque neget Fachinæus) non etiam quod eius interest consequitur; nisi de evictione sibi nominatim caverit.

LV.

Expresso etiam consensu eorum quorum interest feudum non alienari jus revocandi amittitur; Quod trifariam contingit: Aut enim nudè & simpliciter in alienationem factam quis consentit: Aut adjecta promissione quadam de non contraveniendo: Aut expressa renunciatione juris revocandi.

LVI.

Hoc postremo casu multum interest in genere quis renunciet revocationi an verò in specie juri προτιμήσεως tantum; ibi enim ne quidem successioni amplius locus; hic verò secus.

LVII.

Idemque dicendum, si is cui denunciatum legitimè recuset emere, sed an idem si tacens negligat saltem? Negamus.

LVIII.

Nunquam enim ſciens tacenſq; hic pro conſentiente habetur, etiamſi præſens fuerit tempore alienationis.

LIX.

Imo ne quidem ſi tanquam teſtis quis ſubſcripſerit, aut tutorio nomine conſenſerit, ſibi quicquam præjudicare quidam volunt. Contrarium tamen defendere libet.

LX.

Quod ſi promiſſio de non contraveniendo alienationi acceſſerit, ut ſi quis ſe ipſum una cum vaſallo alienatore ratione ſui intereſſe obligaverit; non ſolum ipſe, ſed & hæres ejus ab omni revocatione removetur.

LXI.

Proximioris tamen agnati conſenſus remotiori minime nocet.

Corollaria ex jure civili.

1. Recipiens mandatum de vẽdendis mercibus, nõ adimplet permutando cum aliis mercibus, & ideo tenetur ad intereſſe quanti plurimi L. ſi vero §. dedi 10. L. ſi mandavero § ſicut 11. L. ſi quis §. 2. ff. mand. L. 19. C. eod. L. 1. C. de rer. permut. Rot. Gen. de mercat. deciſ. 9.

2. An vidua uſuras dotis petere ab heredibus viri ſui defuncti moram committentibus in reſtituenda dote, poſſit? Aff. L. mora 32. §. 2. ff. de uſur. L. un. §. 2. & 6. verſ. ſin autem C. de rei ux. act.

3. Filio preterito competere jus dicendi nullum eſſe teſtamentum vulgo adſeritur ex l. inter 30. ff. de lib. & poſth. hered. inſtit. Contrarium videntur ſcripſiſſe Interpp. Graci, quos ſequimur cum Viglio in pr. tit. inſtit. de inoff. teſtam.

4. Sicuti jus Legitima tutela obeunda ſucceſſionem neceſſariò nec inducit nec tollit: Ita viciſſim ſuccedendi jus, tutelam nec infert ſuccedenti, nec eam aufert non ſuccedenti.

5. An de feudo Imperij diſponere liceat? Diſting.

FINIS.